



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
praxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

P. 6. An casus Lege comprehensus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

torum aut legum generalium certò obligantium. Porrò ut ex prædictis principiis particulares casus solidè deducantur , ad sequentiã advertendum erit.

P. V. *Dubium an lex lata.*

Qui dubitat de aliqua Lege, an sit lata , vel de Voto an sit emissum, resolvere potest se tali lege, aut voto non obligari.

Quia ut lex vel votum obligationem inducant , debent sic proponi ut prudenter præsumatur ea verè existere , cùm autem in casu id præsumi non possit , dubitans manet in possessione suæ libertatis. Hinc si cras sit jejunium , & dubites an sit hora duodecima noctis , potes carnibus vesci. Quia non constat legem jejuniij pro illa hora esse latam, adeoque voluntas retinet possessionem sui arbitrij ut istã horã carnibus utatur.

At si constet legem, aut votum existere , sed tantùm dubitetur an illis satisfeceris , ad satisfaciendum obligaris , Quia tali casu lex & votum est in possessione. Hinc fit ut indubitatus Sacerdos dubitans an Horas legerit , eas persolvere teneatur.

P. VI. *An casus lege comprehensus.*

Qui certus est de Lege lata , sed dubius est an casus occurrens lege illã comprehendatur , rectè resolvit se quoad illum casum non obligari. Quia præsumptio quoad hoc punctum est pro libertate, non autem pro lege, cùm post diligens

diligens examen maneat dubium, an in lege contineatur. Exempli causâ, Præceptum est die Dominico abstinere ab opere servili: dubium manet an pingere sit opus servile; non teneor à pingendo abstinere.

P. VII. An Lex acceptata, aut abrogata.

QUando constat de lege, sed dubium est an fuerit recepta, aut postea abrogata, pergit illa dubitantem obligare. Quia pro lege, quam constat existere, stat præsumptio, & possessio juris ut ei obtemperetur; ac proinde alleganti, eam ab initio non esse acceptatam, aut aliquando fuisse abrogatam, incumbit probatio istius quod allegat, quam cum dubius exhibere non possit, manet ea lege adstrictus. Quamvis in dubio de legis *Acceptatione* probabile sit eam non obligare, cum plures doceant leges saltem civiles sine populi acceptatione esse invalidas, uti tenent plerique Canonistæ, *Item Navar. Azor. aliique citati à Laym. l. 1. tr. 4. c. 3.*

P. VIII. De fine Legis cessante.

QUando constat finem adæquatum legis ex toto cessare, cessat etiam totaliter ejus obligatio: uti cum communi docet *Suar. Covar. Ariaga de leg. d. 27. Sect. 6.* Ratio est, quia lex ordinatur tanquam medium ad procurandum bonum aliquod publicum, vel privatum, vel malum avertendum: ergo quando observatio legis ad hæc nullo modo conducit cessat habere rationem medii.

Exempli causa: si lex lata sit nemo egrediatur civitate ob metum hostis, desinit obligare,